



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Prosæ Tomus ...**

**Conti, Giovanni Battista**

**Rom, 1704**

Prosa XVII. Eloquentia puerilis, & ab antiquo vigoro degenerans  
reprehenditur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69458](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69458)

trimenti, luctusque nostri solatium,  
quòd peculiaris felicitas copiae fuerit,  
cum quis multum habet, magnumque  
quod perdat; communis verò mortali-  
tatis necessitas, cum multum magnum-  
que perdit, quod habuit.

## PROSA DECIMASEPTIMA

*Eloquentia puerilis, & ab antiquo  
vigore degenerans reprehenditur.*

### ORATIO.\*

**T**Rudit diem dies, & rena-  
scens lunę cornibus men-  
sem decessorem successor  
mensis impellit. Citatus  
annorum orbis sæcula digerit vertigine  
sua Princeps eminentissime. En beata  
secularis anni temperies ab appropin-  
quantis Jani porta faustissimum exeret  
caput, & ad sanctitatis Romanæ specta-  
culum accersit undique peregrinan-  
tium obsequia Nationum. At cum præ-  
tervolent vices temporum, nullaque  
mo-

\* Habita fuit hæc oratio ineunte seculari anno sub  
Clem. X. in studiorum instauratione ad Rhetores.

mora tam volucrem fugam alternent, non ideo innoxia & nos, & nostra pertranseunt, quasi devastare non vacet quibus stare non licet: quia nequeunt stare, devastant, & stabilia quæque conterunt fugiendo: rerum diminutiones, & ruinas secum trahunt, defectumque suum mundi populatorem faciunt. Florentissimæ etiam Urbes, & Regna situ vetustatis tabescunt: pertinax metallorum natura, potentiorum in terris nominum æternitas quædam collisione decurrentium ætatum intercidit, & suo velut senio superatur. Persæpè videmus in templis marmora, atque æra ambitionis humanæ vel ipso luxuriantis in fletu funestissima monumenta, quas nominum notas servabant, sæculis rapientibus perdidisse, sic nimirum ut quoscumque mortuos hauserat extructus tumulus, rursus in tumulo moriantur; quando impotens votum immortalitatis inter mortales morituræ etiam mortalibus semel mortuis damna secundæ mortis invexit. Ne multis: omnia demum necesse est consenescant, & pereant; nihilque aut unquam occurrit, aut usquam quoddam.

damnosa dies non minuat. Verumta-  
 men una tantum eloquentia olim viri-  
 lis, post evolutam temporum seriem  
 abnormi, ac præpostero gradu in pue-  
 ritiam descivit: quamquam hoc ipsum  
 & senectute deterius duco, & morti  
 quam simillimum; aut enim virilem  
 esse eloquentiam oportet, aut nullam:  
 quæcumque puerilis est, perperam, &  
 per quandam loquendi abusione me-  
 loquentia dicitur: puerilitas cæteris vi-  
 vendi primordium, atque aditus; exi-  
 tus est eloquentiæ. Verum qui nam elo-  
 quentia insuetam hanc viam inivit, &  
 contra communem mortalium rerum  
 periodum, ut jam antea virilis in pue-  
 ritiam deinceps retrogrado incessu de-  
 fluxerit? Id mihi ad differendum, unâ-  
 que vobiscum dolendum proponitur  
 Auditores. Dolete sapientum cætus,  
 querimoniam, & funus instruite: rem  
 fortasse miram, sed planè veram enun-  
 cio: mortua eloquentia est, non quòd  
 in extremam quasi senectutem devexa,  
 spirare, & loqui desierit, sed quòd esse  
 puerilis jam cæperit.

Dum virilis esset eloquentia, atque  
 Oratores haberet planè viros, inerat illi  
 ni.

nimum quantum dignitatis, & virium.  
Coercebat imperiis animos; subsellia,  
ac theatra regebat; temperabat Civita-  
tes, ac cives; dominabatur in ipsos re-  
rum dominos, ipsi terrarum Numini-  
bus moderabatur. Postquam sicut  
Sampson, amisit robur, & in pueritiam  
elumbis, ac lasciva defiliit, secura do-  
minationis, & regni tricis, apinasque  
more puerorum prosequitur, & penè  
crepundiis lusitat, & tintinnabulis de-  
lectatur. Age primùm animo ætatis, ac  
virtutis antiquæ memori adducatur huc  
in propatulum virilis quondam elo-  
quentiæ splendor strenuus, mascula,  
atque imperiosa penitus dignitas, spe-  
ciem suam ejaculans non instar auri,  
argentique imbellis, & habentibus po-  
tius periculosi, sed instar ferri, quo si-  
mul mens, simul & oculi perstringun-  
tur. Reputemus nobiscum Noemi ar-  
cam, mirabile illud auxilium in telluris  
naufragio divinitus fabrefactum, &  
gentium cadaveribus superstes lignum.  
Innatabat rerum excidiis librata mira-  
culo moles exigua, & super obrutæ  
naturæ sepulchrum spatiabatur velut  
denuncians, superante se & fuisse mun-  
dum,

dum, & fore; elementa quippe rerum  
 & semina deportabat sinu non demer-  
 gendo, ac generosum mundi compen-  
 dium, quo sobolesceret iterum vastitas,  
 & solitudo terrarum, cum primùm pe-  
 lagus illud è pluvio cælo delapsus sic-  
 caret placatus Deus. Illic animantium  
 genera alioquin pugnantia, invicem-  
 que perpetim repugnantia consortem,  
 & concordem vitam agebant. Capiebat  
 exile domicilium accipitrem, & colum-  
 bam, canem, & leporē, lupum, & ovem,  
 quin etiam pardum, tygrem, ursum, ele-  
 phantum; leonem, proh qualia uno sub-  
 tecto, & quàm immania monstra! So-  
 ciantur communi periculo, & cicures  
 sunt immitissimæ belluæ: iram leo de-  
 discit, cum unum nature documentum  
 est pavor. Non timeri vult lupus ab  
 ove, sed cum ove opportunius timere.  
 Lepus, ovis, columba fugam oderunt;  
 nusquam spem salutis nisi prope ho-  
 stem vident; fugientibus ab hoste in-  
 currendum in mortem erat.

Ferculum hoc belluis, ac feris, mon-  
 strisque ferocissimis onustum, huma-  
 num pectus appositè dixeris. Enimve-  
 rò quid sunt aliud nisi belluinum, &  
 esse.

rum.  
mer.  
pen.  
ritas.  
m pe.  
m sic.  
rum.  
icem.  
rem.  
iebat.  
olum.  
vem.  
n, ele.  
o sub.  
! So.  
cures.  
o de.  
tum.  
is ab.  
ere.  
unt;  
e ho.  
te in.  
mon.  
uma.  
mve.  
, &  
fe.

fferatum genus tot, tamque varii, ac  
discolores affectus; amor, odium, cu-  
piditas, aversio, audacia, metus, fu-  
ror, remissio, effusum gaudium, ri-  
gens mæstitia, ambitio volucris, pede-  
stris abjectio, spes exiliens, desperatio  
concidens, & vultuosa? In unius cavea  
cordis tanta delitescunt portenta, sua  
ipforum ferocitate non mortua, sed so-  
pita. Jam verò quis hominum usquam  
quis novus quasi Noemus hunc mon-  
strorum gregem sic ditione conclu-  
dit, ut frænare, & solvere, effundere,  
& revocare, exasperare, & lenire, at-  
tollere, & ponere, & alterum cum al-  
tero committere valeat, si modò velit?  
Augustissimum profectò sceptrū istud  
est, & quiddam instar auctoritatis su-  
pernæ. Atqui ea erat veterum Orato-  
rum potestas, id eloquentiæ jam du-  
dum virilis regnum. Vel hanc sui simi-  
litudinem adumbratam in hominibus  
à Deo crediderim, ut qui omnia agit in  
Verbo, humanis etiam verbis tantum  
dederit posse, instruente sermonis aciem  
eloquentia tanquam in pugnam, & ex-  
pugnationem animorum. O fortissi-  
mam, sed suavissimam pariter ratio-  
nem

nem imperii. Ægrè amantur qui imperant, sive quòd amor cum observantia formidolosa non convenit, sive quòd voluntas adversùs imperantes aliquid quod gerere libertatis insigne gaudet, dum eis renuit impendere quod maxime liberum est, amoris tributum. Quidquid erit causæ, videtur ex eo inferior plebes quoddam moderamen moderatoribus suis apponere, ut facilitate majestatem emolliant, nec nimis aspera, aut minùs æqua imperando invidiosius reddant imperium suum. Longè feliciùs imperare eloquentiam novimus: Oratores enim & imperant, quòd amantur, & amantur, quòd imperant. Optimatum imperia Dominorum imminent, atque instant, ut facias: optimorum imperia Oratorum suadent, & monent, ut velis: trahunt illa nolentem, quem ista volentem ducunt: illa obsistendo libertati compellunt, & cogunt, ista obsecundando rationi edocent, monent, atque movent. Demùm quamdam, prout humanis ingeniis fas est, imitationem trahentis Dei, nec tamen cogentis in eloquentia suspicimus. Nemo ad Deum venit, nisi



nisi trahatur à Deo, ita in Oratoris plā-  
citum & trahimur, & imus. Expedi  
Lycambis laqueos, Claudii venenum  
ostende, sibilent serpentes Cleopatrarū,  
Perilli taurus immugiat, vix extor-  
quebis quod eloquentiæ damus, dum  
mollissimis imperiis ad genium allabi-  
tur, & sapientibus velut præstigiis cir-  
cumquaque vertit, ac revertit arbi-  
trium nostrum.

Num quis clandestinis odiis ignescit,  
& in hostium inflammatus vindictam  
tanquam aper, cum telum venatoris  
aut excussit, aut fefellit, stragem anhe-  
lat, & sanguinem? Infundet vir elo-  
quens ferocienti clementiam, deque il-  
lius manu, jam jam depromptum, atque  
strictum in vulnera pugionem excu-  
tiet. Num quis ad objectum discrimen  
frigida nutans formidine in præclaro  
facinore deficit, nec eluctari ardua mo-  
limina per incertam aleam, & ancipi-  
tes rerum ambages potest? Contra-  
ctum, & frigescentem meticulosis con-  
siliis animum in fiduciæ laxitatem ex-  
plicabit Orator, & contra difficultatum  
moras, & periculorum larvas alacri spe  
erectum accendet. Numquis alite vo-

to insanientis superbiæ nubila, cœlum  
 que pererrat; & humanis majora vo-  
 ventem ferè sui ipsius piget? Habet elo-  
 quentia unde tam vagam, & ad supe-  
 ros usque peregrinantiem voti licenti-  
 tiam sub humanæ conditionis limite,  
 ac modestiæ modulo corripiat, & con-  
 tineat. Solvitur quis in fatuam nimis  
 lætitiã? Velit eloquentia modò, in  
 tristitiã compressum videbis. Trista-  
 tur quis, & vultum ducit gravi dolore?  
 eloquentia serenante ridebit. Hæc ab  
 immiti pietatem extundit, hæc expri-  
 mit lacrymas vel ab Stoicæ indolentiæ  
 magistris. Hæc femineæ commiseratio-  
 nis diffuëntem in lacrymas venam in vi-  
 rilem constantiam edurat, & sistit, ac  
 pati eventus rerum atrociores docet.

Smyrna Urbs totius Joniæ spectatissi-  
 sima visa propemodùm fuit invidiam sui  
 telluri fecisse; etenim indignata tellus  
 se ad tanti luxus fundamenta proscin-  
 di, tantæque superbiæ tectorum suc-  
 cumbere, aliquando repentinum con-  
 cepit motum, & ingentes illas æquat-  
 ra sibi sublimitates quodam quasi tri-  
 pudio in Urbis excidium assultavit.  
 Patefiunt hiatu vastissimo caverna-  
 rum

rum recessus, omnemque exhauriunt  
& pulchritudinem domorum, & do-  
minorum vitam: pulvere, & sangui-  
ne permiscentur omnia, atque omni-  
bus omnia locis perturbantur. Mo-  
rientium vides agmina, mortuum vix  
ullum vides; suis quisque infortuniis  
involvitur, & obruitur: cuique sepul-  
chrum est domicili sui ruina. Repa-  
ratur tamen Smyrna, & invita quan-  
tumlibet tellure, onusque detrectante  
suo cadaveri superponitur: Archite-  
ctum suum habuit; quem? Amphio-  
nis tantum Thebarum opificem com-  
menta est vetus fabula: eloquentia verè  
Smyrnam refecit. Smyrnam (inquam)  
restituit eloquentia: Aristides enim  
adeo vivida ejus terræmotus hypothi-  
posi Marci Antonini consternasse ani-  
mum fertur, ut severitatem Imperator  
suam ad lacrymas usque dmitteret,  
sumptusque & sibi instauratori, &  
Urbi instaurandæ non impares conti-  
nuò demandaret. Videtis eloquentiæ in  
Imperatorem imperium?

Quàm porrò & animorum plena  
visa est illa in loquendo facultas Anto-  
nii! Marianos, Cinnanosque Satellites

K

nu.

nudato irruentes ferro à suo pectore  
 suâ linguâ deterruit: quapropter effusi  
 nuper in cædem, nescio quas iniiciente  
 catenas eloquentia steterè prorsus atto-  
 niti; catenatæque ad vulnerandum  
 manus in unum absolute sunt motum,  
 cum ipsam in vaginam mucrones in-  
 nocuos retulere. Quàm plenus ani-  
 morum Egesia Cyrenaici sermo! In-  
 commoda vitæ, & malorum subinde  
 nascentium sylvam uberrimam, & for-  
 tunæ motus luctuosè ridiculos sic ora-  
 tione recensuit, ut ex iis, qui dicenti  
 aderant, plures effugium malorum ul-  
 trò in sinu mortis expeterent; suum-  
 que facerent votum quod rerum om-  
 nium est metus, illud miserè conantes,  
 non ut ipsis mala deessent, sed ipsi ma-  
 lis. Quid plura? Cautum est edicto Pro-  
 lemæi, ne deinceps id argumenti in  
 concionem daret Orator; quasi timen-  
 dum jure foret, ne in ipsam vitam in-  
 spirare hominibus plus odii posset  
 unius hominis Oratio, quàm amoris,  
 universa ipsa natura.

Capit arma Coriolanus in Patriam,  
 jamque de summa Civium pernicie in-  
 festissimus agit. Extemplò in fili

au.

audaciam Veturia Mater invehitur ,  
vindicem Patriæ linguam non mulie-  
briter adhibendo. Objicit modò indi-  
gnitatem facinoris; modò patrii cæli, so-  
lique charitatem, Matrisq; cum primis  
meritū interponit. Vide (inquit) fili quæ  
roget, quid roget, vide. Rogo mater, &  
ne Patriã deleas, rogo. Supplicem apud  
filium matrem tam bona non deside-  
rat causa: at quod cæteris supervaca-  
neum matribus erat, mihi saltem suffi-  
ciat. Quas vel expectare preces indi-  
gnum erat, quantò rem facies indi-  
gniore, si luseris. De reliquo meum  
objectabo pectus furori tuo; per me gla-  
dii transeant ad civium necem, non  
nisi transverberata Veturia transibunt.  
Ne ruas in scelus, ecce novum tibi sce-  
lus opponitur. Sat prævalidum habes  
obstaculum: obstante Genitrice absis-  
tes; si Coriolanus es. His, aliisque id-  
genus per pluribus in filii pectus sic arie-  
tavit eloquens viriliter femina, ut ani-  
mus in Patriam pugna, refractarius  
rationi, adversarius naturæ in eloquen-  
tiæ conflictu ceciderit: debellati, & ca-  
dentis vocem audite: quò me (ait) quò  
compulisti mater? vicisti.

Nihil hic equidem de primis illis humanæ eloquentiæ Proceribus loquor, Tullio, atque Demosthene; cum neminē lateant efficacis illorum locutionis palmæ, triumphique multiplices: aliòque nos vocent alia rursus & quidem sanctioris eloquentiæ trophæa sacratoria. Spectatum unà mecum accedite intentis animis Auditores. Arcadius Princeps tam acri quondam indignatione, & regali penitus odio in Arrii dementiam exarserat, ut Arrianos eosque primarios, atque ipsos Aulicos suos tum ab Aula, tum ab Urbe propelleret. Cui debemus id quæritis? Eloquentiæ debemus. Siquidem Joannes Chrysostomus quibus pollebat dicendi nervis, & copia, præcordia Principis inivit, sensumque iræ tam nobilis incitavit. Valentinianus Imperator aram Victoriæ in Capitolio à Christianis antea Senatoribus dirutam omnino restitui vetuit, quamvis adnitentibus contrà plurimorum votis, ac precibus, quibus Symmacus quoq; ad certius aucupium imperatorię gratię suas artes appinxerat. Quæritis cujusnam suasu, monituve Valentinianus pro Christianæ religionis

nis

nis causa tam favorabiliter fuerit, sapienterque arbitratus? Suadente, & monente eloquentia. Etenim Ambrosius plusquam attico melle oris sui in ejus animum insinuatus lenissimè, eidem erga Christianā Religionem indidit suavissimam lenitatem: malevolentia virus, quod propinare Symmachus voluit, ab se recusavit Imperator, quia nectar Ambrosii altiori mente combiberat. Nihil in hominum pectora eloquentia non permittitur: ea mentes, cum trepidant, firmat, cum hærent, urget; erigit, cum jacent; erudit, cum ignorāt. Quid tuis conducatur rebus non satis liquet? ea adeunda tibi est. Appetendum ne aliquid, an declinandum fuga sit, dubitas? eam audi. Distrahunt animum lites? Ejus tripodem consule. Ejus jussu, flexuque benevolentiam, invidiam, alacritatem, formidinem, mansuetudinem, iracundiam, dolorem, gaudium, fiduciam, desperationem, omnes denique motus evocant, revocant, concitant, attemperant immortales mortalium animi.

Porrò tantum potentia ne meris delatum verbis putemus: movere animos

Orator nisi motus non potest.

*Si vis me flere, dolendum est*

*Primum ipsi tibi;*

*Format enim natura prius nos intus ad omnem*

*Fortunarum habitum, juvat, aut impellit ad iram,*

*Aut ad humum merore gravi deducit, & angit;*

*Post effert animi motus interprete lingua:*

uti vetus tradit sententia philosophantis in carmine Venusini. Penè citius luctum imperat auditori Orator, qui luget, quam id ipsum quod lugendum est. Dominus animorum in corde sibi telum cudit, quod in corda contorqueat; illius imitator Poli, qui ut aptè Hecubam Hectoris cæde lacrymantem in Orchestra referret, filii nuper extincti cineribus quam manu gereret urnam complevit unde & in scenæ ludicro opportunam sibi fecit veritatem, artique suæ colorem, & fucum ab ipsa dolentis simpliciter naturæ sinceritate accersivit.

Hactenus eloquentiam, non qualis ea quidem est, sed qualis beatorum sæculo fuit, vidistis, vetustæ nimirum illius, & virilis apprimè faciem, quoad nobis dicendo licuit, exposuimus. Jam per hanc temporum fecem in pueritiam



tiam novo decrementi monstro dilapsam agnoscite. Heu semper in deteriora proclive, & præceps quidquid humanum, quidquid mortale est. Imponit nobis nostra calamitas, dum non solum per senectam itur in mortem; etiam sub pueritiæ nomine macies rerum, atque tabes, atque interitus veniunt. Eloquentia nunc puerilis, videlicet appellatione tenuis eloquentia, ad libitum puerorum, & mores omnino desipit, solidum indignatur, ac ferium verborum robur, sententiarum pondus; inter inania lascivit liberiùs; & jocularis saltatricula tenellulum affectat hac illac leporem. In exordiis dissita multa colligit, atque è longinquo petita velut natas alio sub cælo merces; unde pendentes diù auditores, & in exitum alienigenæ prolusionis intentos tandem abripiat quò nulla præcurrere potuit perspicacis aut suspicacis animi divinatio. Jaetet vim suam, sibi que prodigioso scilicet commento suo placeat, atque plaudat, quod me ut illicò ad Septentrionem, vel ad Occidentem statuatur Solem; ad remotissimum prius meridiem, vel ad Gangis

ripam traducit. Quid sub initium tanto me delassat itinere sat delassandum in reliquo ineptiarum suarum decursu? Statim ac verò per immensos exordii sinus & tortuosos labyrinthos ventum est ad destinate propositionis oraculū, quantas ibi bullas eruēt! offas superlationum quantas enititur! Absint vulgaria illa, & popelli sermone protrita; nihil portendit nisi novum, nisi superbum, nisi tertio conterminum cælo, quodq; Platonis, Aristotelis, Hieronymi, Augustini, & reliquorum omnium sapientum lynceā aciem fefellerit. Modò quæstionem versat, non ejus fortasse dissimilem, quam de Aselli umbra veteri proverbio vocitamus. Modò paradoxa prorsus inaudita (non audienda rectiùs dixerim) venditat è suggesto sublimis, ac turgida, videturque divisam cum Thaumaturgo sortita potestātē, ut alterius præpotens dextra foret, alterius lingua: modò in medium profert nodosum enigma, & sphingem agit, promittit Oedipum; Davus semper futura. Si quis laudandus Heros in panegyri fuerit; peregrinum expectate, atque exoticum Numen quicumque  
ade.

adestis; aut majus, aut certè non minus uno quod colitis. Facit quod pueri, cum prodigia, & terricula, quæ ab anicula nutrice fabulante accepere; commemorant, suam in eo pueritiam præferentes maximè, quòd provectioris ætatis, & prudentioris judicii auribus ingerunt quidquid imprudens arripuit credulitas sua: & inde risum merentur alienum, ubi admirationem & suam præmonstrant, & alienam invitant. Postmodum verò enumerare satis non possim, quot ulterius progrediens, quantasque nugas effutiat egregia nimirum Rhetorica. Promissi jam immemor ab instituto recessit, & in aliud, atque aliud divagatur longissimè. At revocant audientes, & fidei exactores expectant. Haud sanè proficient: incurrit in eum protinus campum, quem sibi potissimum velit; ad suos lusus explicatissimam aream providit ingenium; quantum est, depromet ibi se totum, datisque habenis effundet; deinde tandem concionali cum dignitate concionem suam reviset. Interim quales in lusus digreditur! qualia divertitur in parerga! Pugnat in antithetis, in

ampullis verborum tumescit, vocum  
allusiones captat, in tropis violenter de-  
tortis orationem distendit, & lacerat.  
Interdum formulas quasdam præran-  
cidulas à cinctutis usque Cethegis refos-  
fas eruderat, & eventilat: putres erudi-  
tionum centones ferruminat; putida  
interferit plurima, pugiunculis non  
paucis vellicat, sensibus minutulis sca-  
tet; in suis (quod ajunt) igniculis friget,  
suis plerumque luminibus, seu potius  
nitedulis obscuratur.

Est aliquando non nihil, quod lau-  
dasses, argutiarum; sed non in loco vi-  
bratum non sine stomacho, vel risu  
tanquam intempestivum excipitur.  
Exponit nescio quis vana Mundi ludi-  
bria, ac prætereuntem figuram, & quo-  
niam in iridis curvatura multicoiore af-  
simulatam videt, quantulacumque il-  
linc occasione ambitiosius arrepta, iri-  
dem cælestem ad aurium usque fasti-  
dium describit; ut ea proinde aliquan-  
to diuturnior in oratione sit, quàm in  
cælo. [Super roscidum aerem tanquam  
in amplissimo elementi totius prosce-  
nio ostentat sese iris mille coloribus  
picturata, in circuli perfecta dimidio,  
spe-

speciosum inanitatis emblema, lenocinium in aperto, dolus in simplici, cælique vel in nubium mærore, & lacrymis ludus quidam fugitivus, & volucris pompa. Tam elegantis pigmenti artificem existere elegantissimum ne dubites. Occulunt nubes solem, mox ipse sol ne inultis occidat nubibus, quas ex adverso despectat, easdem radiorum suorum telis perumpit, & vulnerat. Sed adeo assuetum beneficentiæ fydus lædere penitus nescit etiam ulciscens, & vulnerans; quin & ipsa ejus ultio donum est, & vulneratio ipsa ornamentum. Pingit itaque nubem, dum vulnerat, & injurioso vapor pulcherrimam irim inurit. Adhuc idem ingratus vapor sese diffingit ipse, ut continuo fyderis munificentissimi munus obliteret, & violentis aquis tantam diluat illecebram oculorum. Hæc inter serenitatis venti, solique famulares solis vicem validius ulciscuntur, atque agmine facto agglomeratas discerpunt nubes, omnesque impetu uno difflatas è cæli regione disterrinant. Utcumque contingat, decet, pigmentum illud citò dissolvi; mendacium lucis est; stare

diu mendacium cum luce non potest, quantò minus & mendacium lucis? Atque ut stare diu posset, nihilominus tamen in cælo, id est, in regno veritatis non potest. Nisi dicere fortè malueris, quandoquidem omnis homo mendax mendacium amat; ideo cælum ejus mendacii formam confestim exuere, ne videatur amari ab homine per mendacia velle, dum sic coram homine spectatore mentitur: amari enim sic velle humanæ levitatis est; cælum odit amorem, quem veritati non dederis.] Hoc exornativæ dictionis caractere in hanc prolixitatem pergunt abuti litterator intemperans, ac putidulus, in quem (ut equidem arbitror) Horatiana illa censura adamussim quadrat:

*Inceptis gravibus plerūq;, & magna professis  
 Purpureus latè qui splendeat unus, & alter  
 Assuitur pennus, cum lucus, & ara Dianæ,  
 Et properatis aquæ per amænos åbitus agros,  
 Aut flumè Rhenū, aut pluvius describitur ar-  
 Sed nunc non erat his locus. (cus:*

Ad extremum nostratam eloquentiam brevi verborum ductu vobis delineatam ut præbeam: mollis ea est, & petulans, cincinnatula,  
 de.

depicta, levicula, tota vanissime jucunditati subserviens, & ut ita dicam, cauponans. Ejusmodi planè, quam aut puerilem loquelam, aut loquacem quasi puerulum jure optimo nuncupaveris.

Quin immò non eo usque dumtaxat eloquentiam dejecimus, ut puerilis fieret; est aliquid pueritia dejectius: in fans ea est, loqui nescit, propemodum filet. Neque enim aliud, nisi quoddam ferè silentii genus videtur esse genus illud orationis abruptum, concisum, modicum, pressum, laconicis acuminibus attenuatum, atque instar oraculorum sub Phæbi cortina quondam immurmurantium, in mysticam brevitatem coactum, fastidiosique sæculi & auribus, & animis parasitans. En puerilem, quin & infantem eloquentiam, quæ virilis primùm frequentissimis imperitabat confessibus, ac theatris.

Verùm enimverò aliquot nihilominus hodieque numeramus, & novimus Oratores, quibus inest adhuc Oratoriæ facultatis vigor, ac spiritus, vetus ille quidem, & annosus, sed succo suo, sed sanguine suo, lacertisque firmis subsistens,

sistens, atque ad decernendum summis de rebus in aciem exprorectus, & paratus: quos sanè Oratores egregios meritò gratulari hìc possumus Catholicæ Ecclesiæ, Evangelicæ veritati, sacrisque rostris, ac suggestibus; necnon Orthodoxorum Reipublicæ universæ.

Quod ad vos attinet Adolescentes optimi, & Rhetorum studiis deditissimi, meminertis, ejus vos \* Urbis civēs esse, quæ ut est sapientissima, normam dicendi vetustam illam & virium, & vitæ plenissimam, semper excipit unanimi plausu, meritisque laudibus semper fovet; eam verò, quæ pueriliter evanescit in flosculos, & folia levitatis, sapienti fastidio indignatur. Ad gustus hujusmodi sapientiam, ac saporem ingenia, & studia vestra vos fingite. Locutio vestra jam dici puerilis, non vanitate, sed ætate potest: vultis, ad virile robur succrescat? Qui eloquentiæ parens fuit, hunc vobis adoptate nutritium: ad ubera Tullianæ fæcunditatis styli vestri balbutientis teneritudinem, parvulumque ipsum tyrocinium lactate. Ad Tullianæ itidem efficacitatis nervos styli vestri



stri subinde proficientis adolescentiam ipsam perpascite. Dabit Sermonis delicias Seneca, sed alimenta det Tullius: quos alter faciet in eloquio viros, ornabit alter: illud ex utroque simul constabit, ut in eloquentiæ regno & viri eleganter sitis, & viriliter elegantes.

## PROSA DECIMAOCTAVA

*Rhetoricæ facultati non Rhetores tantum, sed reliquos cujuscumque generis sapientes Respublica sapientium debet. In studiorum instauratione*

## ORATIO.



Oderatricem animorum, & Regum etiã regnatricem eloquentiam suismet armis, hoc est, verbis exagitari à quamplurimis oblocutoribus, vetus est illius infortuniumne dicam, an encomium, Princeps Eminentissime? Hi sunt alumni degeneres, qui ( licet  
ari-